



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

Alienatio

urn:nbn:de:hbz:466:1-41645

sufficit. *Innoc. in cap. Fraternalitatis, de eo, qui cogn. conf. vx.* per solam viri seminationem gigni affinitatem probabilius est. *Syl. Ledes. l. c. effusio. n. seminis muliebris, teste Arist.* non est ad generationem necessaria, sed sufficit sanguis: verum contrariam sententiam non improbabilem putat Sanchez.

Affinitas non extinguitur morte personę, ex qua contracta est. *Navar. l. c. consi. 6. D. Th. l. c. art. 3.*

Nulla affinitas naturę iure dirimit matrimonium. *Navar. l. c. consi. 12. & Aug. l. 3. q. in Leviticum*, cum nouerca asserit matrimonium contrahere naturali lege non licere, contra quem *Couar. l. c. §. 10. nu. 6.*

Alienatio, vide Donatio, Ecclesia, Hospitale.

Alienari prohibita, possunt alienari ex causa dotis, vel alioqui pia. Itaque etiam res Ecclesię possunt alienari pietatis causa: nõ censetur autem tale esse redimere damnatos iustè ad aliquam pœnam.

* *Vide Syl. Alienatio nu. 16.*

2 Successio non dicitur alienatio. Itaq; prohibitus absolutè alienare, potest relinquere hæredi etiam extraneo: & extraneo etiam legare, & prohibitus à testatore extra certum genus personarum alienare, potest ex testamento dare ei, qui sibi esset alioqui ab intestato

stato successurus, etiam si sit extra illud personarum genus, nisi aliud euidenter appareat ex verbis testatoris.

3 Alienatio facta cum debito consensu, & sine fraude, valida est in conscientia: etiam si desint solemnitates à iure requisitæ; ex præsumptione.

* Vide contract. r.

4 Prohibitus alienare, potest alienare mobilia, quæ in triennium seruari non possunt, secus si seruari possint & sint pretiosa.

5 Arbores Ecclesiæ nisi sint pretiosæ, cædi & vendi possunt.

6 Iurans non alienare rem Ecclesiæ, Iuramento non ligatur, quominus seruatibus alioqui seruantibus possit in eius utilitatem alienare, itemq; rem modicam; intelligitur enim iuramentum secundum iuris dispositionem.

7 Solemnitas iuris non requiritur in rebus modicis, nec in ijs, quæ Religiosi retinere non possunt, (itaque Mendicantes, quibus non licet bona immobilia etiam in communi possidere, possunt vendere immobilia sibi aliquo testamento relicta, vel aliàs donata) nec secundum quosdam in rebus mobilibus etiãsi possint seruari, ut ouibus, modo non sint mobilia pretiosa.

Alimenta, vide Dos, Parentes.

Alimentorum nomine veniunt ea, sine quibus